



V. 1729

1) Bismarck

Heft 2/29/1073/  
Film (14)



Germaniæ  
 AD DIVVM MA-  
 XIMILIANVM II. IMP. IN-  
 VICTISS. DE ADVENTV  
*eius ad comitia Spirensia*  
 Gratulatio

Kf 129

Autore Ioanne Premero Vuerthemio;



M. D. LXX.



GERMANIA

AD DIVVM M. A.

XIMILIANVM II IMP. IN

VICTOR. DE ADVENTU

in Germania

Germania

Autore Johann Friedrich Vuchtemier



1773



# Germania

## DIVO MAXIMILIANO

NO II. ROM. IMP. INVICTISSIMO,

DE ADVENTU AD COMITIA  
Spirensia gratulatur.



VREVS EN ITERVM LÆTO SVB  
tempore messis

Protulit hanc roseo Lucifer axe diem:

Sospes & incolumis qua nostras uenit in oras

Cæsar ab Austriacis Maxmilianus agris:

Quem toties procerum plausu populiq; petebam,

Quemq; Di; tandem restituere mihi:

Scilicet ut cunctos de relligione tumultus

Tolleret, afflictis ferret opemq; uiris:

Imperijq; decus terra languentis in omni

Restaurans, pacis munera sancta daret.

Hoc etenim solus nisi nos rex ipse iuuaret

Tempore, militiæ grande uererer onus.

Ergo quibus uerbis nunc exultantia dicam

Gaudia, de reditu Maxmiliane tuo?

A ij

Quosq; novos plausus, uel quæ noua iubila fundam?  
Quæ modò gratanti pectore uota feram?  
Hei quàm uenisti nostras speratus in oras?  
Quàm nunc subsidijs est opus ecce tuis?  
Ipse uides, rerum quæ sit fortuna mearum,  
Obruar atq; quibus squalida facta malis.  
Omnia feruescunt funesto turbine belli.  
Omnia dissidijs, omnia plena dolis.  
Nullus honormagis est, nulla est reuerentia diuim,  
Crescit ubiq; sitis, fraus, & iniqua fames.  
Sanctaq; religio collapsis exulat aris,  
Vixq; mouet trepido languida membra gradu.  
Cladibus & pressæ mendicant turpiter artes  
Ingenuæ ac omni prorsus honore carent.  
Quid querar? ipsa meos etiam discordia ciues  
Vexat, proq; fide prælia dira mouent.  
Corrumpuntq; nouis sanctissima dogmata technis,  
Aduersusq; pios uoce furente fremunt.  
Quod minimeq; putes, sæuissimus hostis ubiq;  
Me premit, & capiti plurima damna struit.  
Insuper infensi nunc formidanda Tyranni  
Tempestas humeris est subeunda meis.

Ille

Ille etenim geminam coeli qui uendicat axem,  
Atq; sibi similem non bene ferre potest:  
Horrida iam rursus post me coniuurat in arma,  
Atq; nouas fraudes insidiasq; struit:  
Pannoniamq; meam cupiens de stirpe reuelli,  
Vicinos late depopulatur agros.  
Cernis ut insultet felici Marte, tumultu  
Ut solito mundi terreat omne latus.  
E patrio ueteres detrudit rure colonos,  
Et uarijs illos enecat usq; modis.  
Sepibus infantes suffigit, & ubera moestis  
(Heu scelus infandum) matribus ense secat.  
Funditus hinc perdit crudelibus oppida flammis,  
Squalidaq; ingenti rura cruore replet.  
Quid referam, sacras ut uastet numinis aras,  
Polluat ut manibus limina sancta suis?  
Non hyberna dies illum, glaciesq; retardat,  
Nec canis Icarij cum fera stella micat.  
Exitus in dijs est: fors an uictricibus armis  
Coget nostra suo subdere colla iugo.  
Deniq; quam multis nemorum iuga floribus halant,  
Quam multis sese frugibus ornat ager:

A iij

Tot me nunc hostes circumstant, totq; sagittas  
Arcubus imponit turba cruenta suis.

Ergo æuo nostro tu Rex fortissime, rerum  
Cui commissus apex, summaq; cura data est:

Tu uindex tandem patriæ succurre ruenti,  
Ne pereat sanctæ religionis opus.

Tu foueas studijs doctas florentibus artes,  
Nobilis imperijs unde paratur honos.

Pro laribusq; meis capiens iustissima bella,  
Terga citò pavidos uertere coge Getas.

Est tibi, qui ueteri floret certamine, miles,  
Artes qui belli militiæq; tenet.

Est tibi, qui tutam castris deducere fossam  
Nouit, & aduersos sternere Marte duces.

Et mihi sunt etiam fortes in prælia dextræ,  
Duraq; gens armis diuitijsq; uigens.

Otho pri-  
mus expū-  
lit Hunnos  
Saxonicis  
finibus.

Hunni sunt testes, pepuli quos finibus olim,  
Magnus Otho regni cum sacra sceptra tulit.

Sunt testes domiti Mauri Numidæq; feroces,  
Inclytaq; in uarijs moenia capta locis.

Sæpe



Sæpe Italæ gentes ualido mea regna petebant  
Milite sperantes me quoq; posse capi.  
Ipsa sed excisis contundens mœnibus hostes  
In celerem uerti mollia corda fugam.  
Ergo semper adhuc cùm sit mea cognita uirtus,  
Auxilium potero non leue ferre tibi.  
Tu modo, bellipotens ac inuictissime Cæsar,  
Auspice suscipias prospera bella Deo:  
Vltor & excindas ingenti clade Tyrannum,  
Cui, nisi sit fractus, præda futura sumus.  
Nec dubites, magnos mox spectans cædis aceruos  
Indomitos perimes Marte fauente Getas.  
Seqûe tuis placidum tandem præbebit habenis  
Turca, gerens uinctas post sua terga manus.  
Ne differre para saltem, si pectore tristi  
Languentis patriæ uiscera læsa gemis.  
Hoc fas, hoc pietas, hoc dilectissima uirtus,  
Hoc te Pannonidum poscit auitus honos.  
Hoc suadet uarijs Ecclesia pressa ruinis,  
Quæ moeret multos te sine sola dies.  
Hanc uideo sparsis prostratam sæpe capillis  
Audio & attonitam talia sæpe queri.

Ab

Querela  
Ecclesiae.

Ab ne dies erit illa, refert, subitoq; querelas  
Fundit, & indignis fletibus ora rigat.

Ab ne erit illa dies unquam, qua mole soluta

Rursus in his uideam Cæsaris ora locis?

Qua semel abijciam luctus, sæuosq; dolores,

Qua ponam querulas, sollicitasq; preces?

Qua templis remouens statuas Rex ipse profanas,

E turpi referat Biblica scripta situ?

Quaq; Bahaliticis funestis ignibus aras

Exurat, cultus restituatq; pios?

Hei, num me linques, ô clementissime Cæsar?

Num me deleri destituiq; sines?

Quæso renascenti clarescere dogmata luce

Commentis hominum tot uitiata, iube.

Quæso sacris uerbis sanctum reparato decorem,

Turbatis fidei rebus & affer opem.

Schismata ne fieri permittas plura, sed omnes

Erue qui templum contemere uolunt:

In uerumq; Deum qui dicunt impia uerba,

Et pro synceris dogmata falsa serunt.

Erue, qui populum crudeli morte trucidant,

Et late innocuo sanguine rura replent.

Surge

Surge age, surge, bona spe iustum suscipe bellum,  
Capturus laudis gaudia magna nouæ.  
Sic Iosaphat, sic Iostias pia bella gerebant,  
Sacra reformantes munia, grata Deo.  
Sculptilium statuas sic sustulit Asa deorum,  
Et iussit sanctum nomen amare Dei.  
Sic quoq; maiores uestri domuere rebellem  
Mundum, atq; æternum promeruere decus.  
In Mahometigenas funestaq; bella gerentes,  
Ceperunt uarijs oppida multa locis:  
Atq; remouerunt cultus, idolaq; diuûm,  
Et populo hospitium dulce dedere meo.  
Ergo lege arreptis uestigia fortiter armis,  
Duraq; crudelis contere corda Getæ.  
Heros inuictus nostris en partibus astat,  
Qui regit imperio quicquid hic orbis habet:  
Ille pijs cœptis uires ingentibus addet,  
Ille tuæ uitæ tempora multa dabit.  
Talia sæpe querens Ecclesia sancta frequentat,  
Talia sollicito sæpe dolore refert.  
Hanc ope præsentini Rex ô diue iuuabis,  
Corruet heu tantis funditus illa malis.

3. Reg. 12.  
2. Paral. 17.

3. Reg. 15.  
2. Paral. 14.

B

Esa. 55.

Ergo age saluantis Christi pulcherrima sponsa  
Fac placidum teneat per tua regna locum.  
Arida ceu tellus foecundos postulat imbres,  
Ceu pluuio sitiens supplicat herba Deo:  
Sic multæ gentes sanctissima nomina Christi  
Nosse, sacrisq; libris discere scripta petunt.  
Quid cessas? miseram tandem me, Maxime, specta,  
Aemiliane, tuæ sit tibi cura domus.  
Certa tamen sum, certa satis, tu mite leuamen,  
Tu mihi præsidium, tu mihi portus eris.  
Ipse per Armeniam properato tramite ductus  
Inuades quicquid Caspia claustra tenent.  
Quaq; ibis, molles horis afflantibus auræ  
Spirabunt uiolas, sanguineasq; rosas.  
Ad Solymas arces tum uictor castra locabis,  
Illic neglectam restituesq; fidem.  
Tum uinces Cilicum populos, Asiæq; minoris,  
Et Lycias urbes Ionæq; domos.  
Hinc subiges Moedos, Hircanorumq; recessus,  
Atq; alias celebres transfreta longa plagas.  
Inde domum rediens externis sospes ab oris,  
Turcarum celeri lætus ouabis equo:

Atq;

6  
Atq; nouis fulges utroq; sub axe trophæis,  
Mirandus populis principibusq; tuis.  
Certabuntq; meæ festiuis plausibus urbes,  
Et pro te superis uota precesq; dabunt.  
Tum tua per cunctas ibunt præconia gentes,  
Ac nomen notum, quâ patet orbis, erit:  
Famaq; continget, quam non uentura silebunt  
Secula, dum pascet sydera nota polus.  
Hæc ô læta dies utinam properantibus horis  
Surgat ab æquoreis, Maxmiliane, uadis.

At nisi me dubiæ fallat sententia mētis,  
Totius imperijam coiere Duces:  
Scilicet inuadant ut eundem fortiter hostem,  
Atq; domi pacis munera sancta iuuent:  
Utq; pias firment, ceu publica iuincula, leges,  
Et curam sanctæ religionis agant.  
Hæc certè magnum seruat consensio coetum,  
Hæc pulchris patriam uiribus auget humum.

Pergite commissam uobis defendere plebem,  
Fædus & æterna iungite pace nouum.

B ij

Ad princi-  
pes adhor-  
tatio.

In primis Christum, qui nostræ causa salutis,  
Discite constanti semper amare fide.  
Illius & tota comprehendite dogmata mente,  
Hæresis errores corrigat atra suos.  
Sic Deus erudiet uos sacri lumine uerbi,  
Plurima de nostris sic mala pellet agris.  
Antiqui Iani sic secula prisca redibunt,  
Excidet & regno barbarus ipse suo.


Iam ne forte morer te uerbis, desino: foelix  
Tu cum principibus Maxmiliane uale.

Ad p[er]p[et]ua[m]  
p[er]p[et]ua[m]  
1600









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
Centimetres

Farbkarte #13 B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

æ  
MA  
MP. IN  
ENTV  
Kf 129  
chemie

5